APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

CAROLUS AD. L. DRAKENBERG,

BLEK.

DIE 16 DEC. 1840.

P. XXXIX.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Rectius est ingenii quam virium opibus gloriam quærere.

II.

Una tantum via est et laudis et dignitatis et virtutis et honoris, bonis artibus ac disciplinis animum conformare.

jura contrahatur compaternitas in confirmatione sicut in baptismo, juxta Cap.: *Ne dum* *) &c. de cognatione spirituali.

Punctus LXXIII.

Item quod uxor legitima carnaliter cognita efficitur commater, etiamsi absens esset, et sine quocunque facto suo, ubicunque maritus sit compater, et converso. Et quod baptizans et confirmans fiunt compatres.

Punctus LXXIV.

Item damnantur tanquam in fide catholica male sentientes, qui dicunt fornicationem simplicem non esse peccatum mortale.

Punctus LXXV.

Item quod ordinarii locorum et eorum officiales concubinarios moneant, certum ipsis pro eorum correctione terminum præfigentes, et si salutaria monita præterire præsumserint, tunc juxta statutum, *Zelus Domus Dei,* mulctentur in quarta parte omnium fructuum et reddituum unius anni, et hoc semel tantum. Demum si contemtus enormitas exegeris, ad carceris pænam procedant, et postremo ad privationem beneficii. Ut supra in secundo membro.

Punctus LXXVI.

Item concubinis a liminibus ecclesiæ seclusis septennis injungatur pœnitentia, et si sic a peccati consyetudine non compescuntur in arcto monasterio vel carcere ad arbitrium ordinarii recludantur.

Punctus LXXVII.

Item quod clericus alienæ diœcesis, etiam in militum vel militarium obsequio constitutus, non assumatur sine licentia speciali et literis testimonialibus ordinarii sui, vel sui officialis.

Punctus LXXVIII.

Item ex statuto: *noverint* &c. disponitur, quod duo dies inter fe-

*) Hoc caput ia cit. titulo Decretalium non reperitur.

stum S. Petri ad cathedram, et festum beati Matthiæ uniformiter habeantur in anno bissextili.

Punctus LXXIX.

Item qui die dominica homicidium perpetravit, a carnibus, qui sexta feria, a piscibus; et qui sabbatho, a lacticiniis eisdem diebus perpetuo abstinebit, nec poterit super hoc per episcopum dispensari.

Punctus LXXX.

Item præcipitur festum S. Birgitæ octava die mensis octobris solenniter celebrari.

Punctus LXXXI.

Item quod nullos prælatorum, quocunque adinventionis ingenio committat jurisdictionem laico.

Punctus LXXXII.

Item ne maculentur originalia privilegiorum, seu per sigillorum ruptionem destruantur, mandatur in eodem, ut quælibet ecclesia cathedralis habeat speciale registrum privilegiorum, de quo copiæ eorundem recipi poterunt, quoties fuerit oportunum et necessarium.

Punctus LXXXIII.

Item in statuto: *Qvoniam nulla juris sanctio* &c. statuitur quod in singulis ecclesiis parochialibus, dum corpus Christi ad altare diebus festis portatur, cantetur: *O salutaris hostia* et finita missa, sub reportatione ejusdem corporis, memoria sanctæ crucis et beatæ virginis et animarum; et ab Archi-episcopo per provinciam XL, et a quolibet suffraganeo per suam diœcesin etiam XL. dies indulgentiarum hoc facientibus conceduntur.

Punctus LXXXIV.

Item quod in capellis extra ecclesias non servetur sacramentum eucharistiæ.

Punctus LXXXV.

Item in diebus festivis non fiant mercata, sub pœna trium marcarum

nisi essent moderata victualia illius diei; et in nundinis, quæ occurrunt die festiva ante summan missam finitam, non mercetur.

Punctus LXXXVI.

Item quod advenæ non admittantur ad contrahendum matrimonium; nisi per literas docuerint se solutos, et sacerdos qui tales benedicat, punitur in tribus marcis.

Punctus LXXXVII.

Item quod nulli desponsati ante benedictionem nuptiarum condormiant, sub pœna trium marcarum.

Punctus LXXXVIII.

Item quod paterfamilias tenens in domo sua publice concubinam, tanquam uxorem, monitus cum concubina etiam in generali, sine expressione propriorum nominum vel personarum in ecclesia parochiali, qui non dimittit concubinam, ab ingressu ecclesiæ cum concubina arceatur, et ante restitutionem ad introitum ecclesiæ solvat tres marcas, nisi eam desponsaverit. Et si relapsi fuerint, gravius puniuntur. De aliis concubinariis servetur consvetudo, quod non communicentur nisi abjuratis vel desponsatis concubinis.

Punctus LXXXIX.

Item duplicatur pœnitentia parentibus parvulorum oppressorum, qui neglexerint eorum baptismum, et statuitur, quod non introducantur in ecclesiam, nisi duabus vel tribus carenis completis; et quod oppressores infantum conjugati post unam carenam expletam introducantur in ecclesia, nisi fuerint in lata culpa. Soluti autem oppressores infantum non introducantur in ecclesiam nisi post duas carenas, quibus superadduntur in pœnitentiam duo anni, quoad vigilias et sextas ferias, et si ambo conjuges sunt in eadem domo tempore oppressionis, ambo jejunabunt. Rigor tamen iste mitigatur in statuto, quod incipit: *Qvoniam non debet* &c. ita ut quilibet episcopus in sua diœcesi poterit relaxare, et mitigare pœnitentiam injunctam oppessoribus infantum, secundum qualitatem et circumstantiam delictorum et personarum.

Punctus XC.

Item principalis perjurus, qui alios inducit secum ad perjurandum,

pœnitebit VII. annis et in VI. marcis condemnatur: compurgatores vero, qui probabiliter decepti pejurarunt, solvant tres marcas, et quinquennio pœnitebunt.

Punctus XCI.

Item quod in præcipuis festis ecclesiarum cathedralium deputentur confessores, habentes auctoritatem absolvendi in casibus episcopalibus occultis, et quod hoc publicetur per diœcesin in ecclesiis parochialibus ad aliquod tempus præcedens festum solenne tunc instans, ut veniant pro absolutione hujusmodi casibus irretiti.

Punctus XCII.

Item ex eodem prohibentur convivia scholarium, quæ iterum per ea permittuntur et reassumuntur in statuto: *Qvando non dum* et: *In nomine Domini, amen. Nos Nicolaus.*

Punctus XCIII.

Item declaratur præcipuum non deberi a morientibus episcopo, sed morientium arbitrio relinquatur

Punctus XCIV.

Item quod præpositi et curati rurales, scholares extra debita tempora sine literis, vel contra tenorem literarum suarum, evagantes, arrestent, et res eorum viciniori rectori scholarum assignent pauperibus erogandas, quod repetitur in statuto, quod incipit: *In Nomine Domini, Amen. Nos Nicolaus.*

Punctus XCV.

Item quod presbyter moriens, notabili paupertate non gravatus, respicere teneatur eclesiam cathedralem in suo testamento.

Punctus XCVI.

Item visitationis Mariæ festum assumitur solenne per totam provinciam.

Punctus XCVII.

Item quod jura canonica et statuta provincialia observentur circa visitationem et procurationem episcoporum.